



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

Distribuitur stabulum Bethleemiticum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

STRENA II.

In qua distribuitur Stabulum Bethleemiticum.

DAbimus nunc Strenas ex sacro Bethleemico stabulo, eodem ordine quem in præterita largitione tenuimus. In primis igitur *Sacerdotali statui* loco Strenæ dono & offero *Præsepe*, tanquam altare in quo Christus D. tanquam vera hostia DEO Patri immolanda jacuit, & tanquam verus cibus Fidelium, non tantum Judæorum, sed & Gentilium. Idem jacuit coram utroque animali, scilicet bove & asino, ut præsignaret se ab utroque populo fido manducandum. Unde pulchrè V. Beda lib. 1. in 2. Lucæ. *Qui panis est Angelorum in præsepio reclinatur, ut nos quasi sancta animalia carnis sue frumento reficiat.* Accedant Sacerdotes frequenter hoc præsepe Dominicum altare, ut immolent in eo quotidie hanc immaculatam hostiam ut S. Andreas facere solitus fuit, qui sic ad *Ægeam* Proconsulem in Brev. Rom. *Ego omnipotenti DEO, qui vivus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cuius carnem postquam omnis credentium manducaverit populus, Agnus qui sacrificatus est, integer permanet.* Hanc offerre hostiam propriè munus est Sacerdotum. Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis que sunt ad DEUM, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Talibus profectò hostiis promeretur DEUS. Tali oblatione nihil DEO Patri gratius. Quid enim gratius Deo Patri offerri queat, quàm unigenitus Filius atque dilectus. Matth. 17. *in quo sibi benè complacuit?* Hoc donum toties ei offertur quotidie, in altari quoties consecratur. Ipse enim Filius est Hostia, altare, offerens & oblatio. Nō subtrahant proinde

proinde Sacerdotes Deo tam gratum munus, tam acceptabile donum, tam efficacem hostiam. Sanè si V. Bedæ de Eucharist. credimus. *Sacerdos non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude & gloriâ, Angelos latitiâ, peccatores veniâ, iustos subsidio, & gratiâ, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam præstantissimo beneficio, seipsum medicinâ ac remedio.* Faciant quoque Sacerdotes ad altare quod Christus in præsepio. Fudit enim ibi lacrymas more cæterorum infantium. *Vagit Infans inter arcta conditus præsepia, canit Ecclesia.* Et quare obsecro fleuit? Fleuit non tantum ut cæteri infantes, qui miseriam & angustias hujus vitæ suo fletu nescientes denuntiant; sed cum rationis usum plenissimum Christus habuerit, ac ut Luc. 2. Sapientiâ plenus fuerit, fleuit ex compassione, deflevit nostras miserias, nostra peccata, nostram captivitatem, nostrum exilium. Sic & Sacerdotes oportet non tantum sua in altari deflere peccata, sed etiam aliorum, totius scilicet populi, ex Christiana charitate, ac vera compassione. Joël 2. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent, Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, ut dominantur eis nationes.* Et Jerem 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum & plorabo die ac nocte interfectos filia populi mei,* &c. Et rursus Joël 1. *Accingite vos & plangite Sacerdotes, ululate ministri altaris.* Sanè D. Ambrosius lacrymas Sacerdotum arma vocat. *Lacryma inquit, mea arma sunt. Talia enim sunt munimenta Sacerdoti, aliter nec possum, nec deo resistere.* Orat. contr. Auxentium. Imò non solum ille sollicitus est flere dum sacrificaret, verum etiam dum peccatorum confessionem exciperet. Testatur enim de ipso Paulinus in ejus vita. *B. Ambrosius ita solitus est flere, dum in confessione peccata alicujus audiret, ut etiam peccatorem consistentem in lacrymas deduceret: alienos*

ut suos deflebat, &c. Ad instar D. Pauli quem Chrysof. hom. 2. de laud. Pauli testatur magis deflevisse aliena peccata, quam aliquem propria. Imitentur ergo Sacerdotes hos Dei ministros, imitentur & summum Sacerdotem Christum D. qui non tantum in altari præsepit, sed etiam in altari S. Crucis lacrymatus est. Hebr. 5. Nam in diebus carnis sue preces supplicationesq̄, ad illum qui posuit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, ex auditus est pro sua reverentia. Rursum, in præsepitio fuit Christus pannis involutus: in altari involvitur linteis & albis pannis accidentibus & speciebus Sacramentalibus. Est enim Christi corpus involutum ut quondam gladius Goliath Philistæi quem David occiderat. 1. Reg. 26. *Venit David ad Abimelech, dicitq̄, ad eum, si habes hic gladium aut hastam ad manum? Cui Sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philistæi quem percussisti in valle therebinthi est involutus in pallio post Ephod. Si illum vis tollere, tolle: Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David, non est alter illi similis, da mihi eum.* Hic gladius corporis Christi in altari figura est. Venit Christus decertare cum dæmone ut David cum Philistæo. Sed quo gladio illum jugulavit? certè gladio ipsius proprio, carne scilicet nostrâ, quâ universum pænè mundum prostraverat. Assumpsit Christus carnem nostram, & in ea vicissim ipsum superavit, & caput ipsius abscidit ut David Goliath; sicut ergo in istius egregii facinoris memoriam gladius ille servatus est in sanctuario, involutus pallio post ephod, quod erat ex lino albo: Ita in memoriam facinoris præclari ipsius Christi caro hæc servatur perpetuò in Ecclesia, & in altari involuta accidentibus albis, accandidis linteis. Utantur Sacerdotes hoc gladio ad gerendum bellum cum dæmone, carne, & mundo. Non est enim alter huic similis ad vincendam omnem tentationem, & ad hostes animarum prosterrendos, & victoriam obrinendam.

Magis

Magistratui Civili pro Strena dono *ligamenta* quibus bos & asinus alligati fuerunt. Debet enim civilis potestas habere funes suos ac vincula, quibus populum nestant & constringant, ut ad præsepe maneant, id est, ut in Dei domo, seu Ecclesia perseverent, ut templa frequentent, ut missam, conciones, aliaque divina officia audiant, ut in mutua pace, ac concordia vivant, ut nondissolutè ac scandalosè vivant, quemadmodum enim animalia, si non alligentur funibus ac vinculis dissolutè discurrunt, ac limites suos transiliunt, ita populus si non coërceatur & constringatur legibus veluti funibus, transiliet limites sibi à Deo præscriptos, committuntur homicidia, patrantur adulteria. Adulteri namque transiliunt ut Eccl. 23. ait. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnit animam suam, & dicit, quis me videt?* Statuant ergo Præfecti leges pœnales ne eiusmodi peccata fiant, aut non impunè fiant. Puniant scandalosè viventes in exemplum aliorum, coërceant Reip. perturbatores, injiciant funes & vincula quibus bos & asinus, id est, indisciplinati benè alligentur, & contineantur juxta illud Pl. 31. *In chamo & frano maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Et Pl. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Et Prov. 8. *Funibus peccatorum constringitur impius.* Quando enim trahi nolunt in funiculis Adam Oseæ 11. nec in vinculis charitatis, necesse est ut durioribus & arctioribus vinculis adstringantur. Ita & Christus D. Joan 2. usus est flagello de funiculis, quo ejecit de templo ementes & vendentes, id est, prophanatores templi. Sic & Magistratus Ecclesiasticus habet sua vincula, quibus rebelles & refractarios irretitos tenet, qualia sunt vincula excommunicationum, &c. licet hæc vincula perumpere eonentur dicentes illud Pl. 2. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.* Habet ergo sua vincula Magistratus civilis qui per Moysen notatur: habet & Aaron, id est, Ecclesiasticus. Pl. 98.

Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus. Quia verò Moyſis mentionem facio, rogo & hortor Judices, ut quemadmodum Chriſtus in ſua tranſfiguratione habuit ſecum Moyſen & Eliam, ita quoque ipſi in ſua exaltatione hos duos ſecum adhibeant, Moyſen, id eſt, miſericordiam, & Eliam, id eſt, juſtitiã. De Moyſe habemus, fuiſſe eum virum mitiſſimum & miſericordem. De Elia, fuiſſe eum valdè zelolum pro lege DEI. Unde ipſemet dixit 3. Reg. 19 *Zelo zelatus ſum pro D. DEO exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini, filii Iſraël.* Servent ergo judices miſericordiam & veritatem ſeu juſticiam. *Miſericordia enim & veritas Pl. 84. obviaverunt ſibi, juſtitia & pax osculate ſunt.* Sic, inquam, ſervent & exerceant juſticiam, ut tamen non deglubant nec eviſcerent, nec opprimant pauperes. Hinc Eccl. 4. *In judicando eſto pupillis miſericors.* Sicut igitur dicta vincula & funes Magiſtrati Civili pro Strena, iisquæ loco & ſuo tempore utantur. Sed caveant ne ipſi ſint de eorum numero de quibus Iſai. 5. *Ve qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.*

Virginibus loco Strenæ offero B. Mariam Virginem. Hanc ipſis dono tanquam ſpeculum clariffimum quod contemplantur, & illuſtriſſimum exemplum quod imitentur. Imitabuntur autem in ea potiſſimum ſingularem ejus modeſtiam, ſeu verecundiam, humilitatem & caſtitem. Ad modeſtiam pertinet, ut ſint verbis parcæ, ac ſobriæ, in verbis non profluæ, non garrulæ, non leves. *Discant Virgines* ait Ambr. lib. 2. in Luc. *non circumcuſſare per alienas ades, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones. Maria enim in domo ſera, in publico feſtina, &c.* Ut patet cùm iret ſalutatam Eliſabeth. *Exurgens enim Maria abiit in montanacum feſtinatione, & ſalutavit Eliſabeth.* Ubi & eximium humilitatis præbuit exemplum. Unde V. Beda lib. 1. in Luc. *Disce Virgo humilitatem Mariae, &*

via, ut & corpore casta & pectore possis esse devota. *Visitat junior seniore, salutat Virgo uxorem. Decet enim ut quod castior Virgo, eò sit humilior, & senioribus deferens habitum charitatis, praeconio commendetur humilitatis. Maria ad Elisabeth, Dominus venit ad Joannem, haec ut Spiritu S. repleatur, illius ut baptismum consecretur. Majorumq; humiliatio, minorum est utiq; exaltatio. Et conformiter Ambr. lib. 2. in I. Luc. Noverit Virgo deferre senioribus, sitq; Magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Cuius Virginis ait August. lib. de bono Virginit. est charitas, locus autem huius custodis est humilitas. Ibi quippe habitat qui dixit, super humilem faciam requiescere spiritum meum. Cogitent itaque Virgines, humilitatem inprimis esse necessariam, frustra que se aliis virtutibus ornatas, si haec sola desit. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi qui in ventum pulverem portat. Ut ait D. Greg. Moral. 19, c. 17. Et idem dicit. Omne quod agitur perire, si non sollicitè in humilitate custodiatur. Adeo necessaria est humilitas, ut non alia sit via ad sapientiam, & veritatis cognitionem perveniendi quam humilitatis. Sic enim D. August. ad Dioscorum. Non aliam tibi ad capeendam & obtinendam veritatem viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tanquam Deus, videt infirmitatem, ea autem prima est humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas. Et quoties interrogares, hoc dicerem, non quod alia non sint praecepta quae dicantur. Sed nisi humilitas, omnia quae facimus bene, & praeceperit & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & appositae cui adhaereamus, & impositae quae reprimamur, jam nobis de aliquo facto bono gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Hanc ergo tam necessariam Virgines amplectantur virtutem, & à Virginum Regina humilitatis Magistra exemplum capiant. Cujus humilitas vel in eo lucet, quod ancillam Domini se vocet quae Dei Mater eligitur, nec repentino exaltata est promisso.*

Castita-
tem

tem ejus vel in eo inprimis imitentur, quod virorum semper fugerit consortium, vitaverit colloquium, imò ad Angelicum sic turbata sermonem, de quo sic Ambr. loc. cit. *Discite virginem moribus, discite verecundia, discite virginem oraculo, discite mysterio. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressos pavere, omnes viri affatus vereri. Sola erat in penetrabilibus, quam nemo virorum viderit, solus Angelus reperit.* Brevis, vis videre falculum omnium ejus ferè virtutum, audi rursus eundem Ambr. lib. 2. de Virginit. *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitæ, B. Mariae, de qua velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis, licet, exemplum vivendi &c.* Vide in Brev. Decembr. 8. Noctur. 2. lect. 1.

Viduis pro Strena offero tria munera Magorum, aurum, thus, & myrrham. Et auro quidem sæpè opus habent utpote multis debitis gravatæ, ut quæ multis subinde ad jus citationibus impetuntur, & sumptuosis litibus sua debent recuperare, vel conservare. Pauperculis proinde viduis optimè conveniret aurum. Sperarem illis non futurum in perditionem ut Simoni Mago Act. 8. Qui pecuniâ volebat comparare dona Spiritus Sancti. Et consultissimè, piissimèque facerent ditiores si clanculariè in ædes pauperularum viduarum aliquam massam auri injicerent, ut S. Nicolaus fecisse legitur in domo cujusdam Civis egeni, qui ob angustiam rei domesticæ tres filias suas nobiles prostituere, earumque pudicitiam traducere cogitabat. Hoc verè esset visitare pupillos Jacob 1. & viduas in tribulatione eorum. Hoc esset honorare viduas, quæ verè viduæ sunt, id est, quæ suorum auxilio destitutæ, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætasque conficit, quibus DEUS spes est, & omne opus oratio ut Hieron. loquitur epist. ad Gerantiam. Inveniuntur hodie pro dolor innumeræ, quæ in paupertate conferendæ sunt cum vidua illa Evangelica & paupercula

percula, quæ in gazophylacium misit æra duo minuta, quæque ex eo quod sibi deerat, omnem victum suum quem habuit misit. Secundò obtulerunt Magi thus per quod significatur oratio juxta illud Ps. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Hæc Strena apprimè convenit viduæ, debet enim illa diligenter insistere orationi dicente Apost. 2. Tim. 5. *Quæ verè viduæ est instet orationibus & obsecrationibus die ac nocte.* D. Hieron. ad Salvinam scribens de servanda viduitate *Habes tui ordinis viduas quas sequaris. Judish de veteri testamento, & Annam Phanaelis filiam de novo testamento, quæ diebus ac noctibus versabantur in templo & orationibus, atq; jejuniis thesaurum pudicitia conservabant. Unde & altera in typo Ecclesiæ diabolum capite truncavit, altera Salvatorem mundi prima suscepit Sacramentorum conscia futurorum; semper ergo in manibus tuis sit divina lectio, & tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur.* Tertiò, offerebant Magi myrrham quæ viduis etiam necessaria est. Per Myrrham enim, quæ corpora mortuorum conservari solent à putrefactione, significatur mortificatio. Et sanè opus habent vidui & viduæ corporis sui mortificatione, cum enim aliquando expertæ fuerint carnis voluptatem, difficulter continent, quin saltem præteritarum voluptatum memoriâ ac morosâ recordatione animas suas fœdent ac commaculent. *Difficile est, quin potius impossibile, ait D. Hieron. perturbationum iniitiis carere quempiam, quas significantius Græci propatias vocant, nos antepassiones possumus dicere, eò quòd incentiva vitiorum omnium titillent animos, & quasi in meditullio nostrum sit abjicere cogitata, vel recipere.* Sedulò ergò & studiosè debet mortificare membra sua quæ sunt super terram, strenuèque pugnare ac luctari contra carnis illecebras. Corpus proinde castigent, cilicio doment, aliaque pœnitentiæ opera subeant.

L

Talia

Talia fecit Venerabilis illa Paula vidua de qua sic Hieron. in epitaph. ejusdem. *Mollia etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliiculis quiescebat, si tamen illa quies dicenda est, qua jugibus orationibus penè dies noctesq; jungebat illud implens de Psalterio Ps. 6. Per singulas noctes lavabo lacrymis stratum meum, in quo fontes crederes lacrymarum. Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimum criminum ream esse crederes. Cùmq; à nobis crebrius admoneretur, ut oculis parceret & eos reservaret Evangelica lectioni, agebat: Turpanda est facies quam contra Dei preceptum, purpurisâ & cerusâ, & stybio sepe depinxi. Affligendum est corpus quod multis vacabat deliciis. Longuoribus perpeti compensandus est fletu, mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate ciliicii commutanda: qua viro, & seculo placui, nunc Christo placere desidero. Hanc myrrham viduæ quæ in deliciis vixerunt adhibeant. Nam cùm luxuriata fuerint in Christo, Tim. 5. nubere volunt.*

Conjugatis pro Strena do Josephum & Mariam sanctissimos & castissimos Conjuges, quosque omnes matrimonio junctos imitari velim in pacifica cohabitatione, in mutua concordia, in vinculo charitatis & amoris, in fideli obsequio alterius ad alterum. Multa sunt modò connubia ubi intestinis disidiis domus scinduntur, ubi frequentes rixæ, contentiones, pugnæ, Ubi maritus insurgit contra uxorem, uxor involat in maritum, Diceres esse domum Socraticam, nisi quòd Socrates multos patientiâ suâ vincat in ferendis uxorum suarum injuriis & improperiis. Narrat siquidem D. Hieron. lib. adv. Jovinian. Socratem duas habuisse uxores Xantippen & Myron neptem Aristidis, quæ cùm crebrò inter se jurgarentur, & ille eas irridere fuisset solitus, quòd propter se foedissimum hominem, fimis naribus, & recalvâ fronte, pilosis humeris, & repandis cruribus, disceptarent: novissimè in eum vertisse impetum & malè mul-

lè mulctatum fugientemque persecutas. Quodam autem tempore cum infinita convicia ex superiori loco ingerenti Xantippæ restitisset, aquâ perfusus immundâ, nihil ampliùs respondit, quàm capite deterfo: Sciebam, inquit, futurum esse, ut ista tonitrua imber sequeretur. Dolendum profectò inter ipsos etiam Christianos & Catholicos tam infausta ac infortunata quàm plurima reperiri conjugia, ubi amor conjugalis & affectus exulant, ubi expulsa charitas, ubi mutuuum odium, livor, invidia, & zelotypia omnia perturbant: ubi vir est quasi leo in domo sua, evertens domesticos suos & opprimens subiectos sibi, ut Eccl. ait 2. Audiant hi D. Paulum sic salubriter monentem Eph. 5. *Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ &c.* Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit seipsum diligit. D. Chrysost. hom. 15. ex variis, exponens præceptum illud dilectionis. *Diliges DEUM tuum ex toto corde tuo, pulchrè docet & tradit dilectionem conjugalem. Ecce si vir habeat uxorem, quomodo cognoscitur uxoris plena dilectio? Uxor neminem debet sapientiorem putare quàm virum suum, & si alter sit sapientior tamen alterum sapientiorem esse, illa intelligere non debet. Uxor neminem fortiosem putare debet quàm virum suum, & si alter fortior, tamen illa intelligere non debet alterum fortiosem. Uxor neminem formosorem putare debet quàm virum, & si alter formosior sit, tamen coram oculis ejus alter formosior apparere nõ debet. Perfectè enim odium, & perfectè amor verum iudicium non cognoscit. Ut puta, si perfectè oderis aliquem, quali acunq; fuerint, omnia tibi displicent, si ve qua loquitur, si ve qua agit, & si sint bona tamen tibi videntur mala. Sic & si perfectè aliquem amas, quacunq; sunt apud eum, tibi placent, si ve qua loquitur, si ve qua agit, & si sint mala, tamen tibi bona videntur. Et gò si uxor videns aliquem dixerit, quàm sapiens*

I. 2.

vir,

vir, utinam vir meus talis esset, jam amor ejus minus habet aliquid de perfecto amore. Et pro quant a parte aliquid laudaverit amplius in altero viro quàm in suo, tantò dilectio minor est ad virum suum. &c. Sit ergo talis inter Conjuges amor & affectus.

Servus, & Ancillus, & Adolescentibus do Christum D. diversimodè consideratum, his ut Puerum, illis ut perfectioris ætatis. Non sint servi & ancillæ dejecto animo ob conditionem servilem, nec tædeat eos laborum & vilium operum, quæ subinde præstare debent, cogitent illud Christi Matth. 20. *Non est servus major Domino suo. Filius enim hominis non venit ministrari sed ministrare.* Nec est dedignatus lavare pedes discipulorum suorum more servorum præcinctus, ne quidem proditoris Judæ unà cum aliis recumbentis. Rursum Luc. 12. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes &c.* Et iterum Luc. 22. *Quis major est qui recumbit, an qui ministrat: &c.* Hinc aliquoties in Scriptura Sacra Christus omnium Dominus servi nomine vocatur. Ut apud Isai 42. Ubi Pater cœlestis sic loquitur de Filio suo. *Ecce servus meus, suscipiam eum, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium Gentibus proferet,* Et Isai. 49. *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & seces Israël convertendas, &c.* Et Zach. 3. *Ecce ego adduco servum meum Orientem.* Denique conqueritur Dominus apud Isai. 34. & exostulat graviter adversus Judæorum ingratitude. *Servire me fecisti in peccatis tuis, prabuisi mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Uti & apud Pl. 87. *Ego autem in laboribus à juventute mea.* Hæc igitur consideratione solabuntur servi & ancillæ laborum suorum tædia.

Pueris verò & Adolescentibus proposui eundem Christum infantem, ut ejus vitam & mores à pueritia imitari discant. Discant frequentare templa, ut Puer Jesus ascendit cum Parentibus suis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, cumq;

cumque à Parentibus fuisset perditus, ab iisdem inventus est, non in tabernis, non in plateis, non in suspectis locis, sed in templo, in medio Doctorum. Discant obedire Parentibus suis, ut Puer Iesus obediens erat & subditus Mariæ Matri suæ & Josepho, cum tamen esset verus DEus. Unde non sine magna admiratione sic loquitur S. Bern. hom. 1. super Missus. *Quis? quibus? DEus hominibus, DEus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Maria, nec tantum Maria, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrum libet & elige quid amplius mireris, siue Filii benignissimam dignationem, siue matris excellentissimam dignitatem, utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod DEus femina obtemperet, humilitas absque exemplo; & quod DEO femina principetur, sublimitas sine socio. Disce nunc homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. E. rubesce superbe cinis. DEus se humiliat, & tu te exaltas. DEus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tu te praeponis auctori? utinam mihi tale aliquid aliquando cogitanti DEus respondere dignetur, quod & suo, increpando, respondit Apostolo. Matth. 16. Vade, inquit, post me Sathana, quia non sapis quae sunt Dei. Quoties me hominibus praesse desidero, toties Deum meum praere contendo, & tunc verè non sapio ea quae sunt Dei. De ipso namque dictum est. Et errat subditus illis. Denique de Puerio Iesu dicitur in Evang. Luc. 2. Puer autem crescebat & confortabatur, & gratia Dei erat in illo. Et iterum. Iesus proficiebat sapientia & etate, & gratia apud Deum & homines. Conentur omnes pueri & adolescentes progressum facere in pietate, sapientia, & gratia, timore Dei &c. A primis iustitiae rudimentis semper oportet progredi ad perfectiora, quemadmodum enim corpus habet aetatem suam, quousque ad perfectum staturae modum, perfectasque vires deveniat, ita & pietas incrementa habet, donec perfectionem attingat, & plenitudinem Christi. Grandis fit Christus in nobis & adolescit*

cum perfectionem acquirimus, cum jam relicto carnalis sensus lacte solidum cibum apperimus, cum relictis & neglectis terrenis ad coelestia aspiramus. Crescite ergo cum Puerio JESU, crescite cum Samuele de quo Scriptura 1. Reg. 2. *Puer Samuel proficiebat atq; crescebat, & placebat tam Deo, quam hominibus.* Proficite cum Davide, de quo 2. Reg. 3. *David erat proficiens & se ipso robustior.* Ne igitur semper pueri simus, sed quotidie in melius proficiamus. *Semper, inquit, August. serm. 15. de verbis Ap. tibi displiceat quod es, ut possis pervenire ad id quod nondum es, ubi tibi placuisti, ibi rem amisti. Si autem dixeris, sufficit, etiam periisti. Semper ambula, semper profice, semper adde, noli in via remanere, remanet qui non proficit.* Et D. Leo serm. 2. in Quadrag. *ibi incidunt homines in deficiendi periculum, ubi proficiendi deponunt appetitum.* Dicite ergo cum Paulo 1. Cor. 13. *Cum essem parvulus loquebar ut parvulus, cum vero factus sum vir, evacuaui qua sum parvuli.* Rogate DEum ut assidue crescatis in gratia, & cognitione Domini nostri & Salvatoris JESU Christi, ut D. Petrus monet 2. Petr. 3. Rogate cum D. Paulo Ephes. 3. *Us det vobis secundum divitias gloriae suae virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine.* Ite Ps. 83. *De virtute in virtutem, ut postea videatis DEum Deorum in Sion, ut occurratis ei in virum perfectum Ephes. 4. in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*

STRENA III.

De Septem Donis Spiritus S. in figura Columbæ.

Distributurus Strenæ loco dona septem Spiritus S. quæ requieverunt super hunc Regem novum ut Isai. 11. testatur. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet,*